HUGO DE SANCTO VICTORE. EXCERPTA

3. Viertel 12. Jh. Seite 66v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36642
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Prima pertinent ad peccatorum remissionem. Secunda ad excitandam devotionem. tertia ad colendam pietatem. Prima instituta fuerunt quasi ex necessitate. ut in eis homo sanctificaretur. qualis circumcisio fuit. et hostie pro peccato et pro delicto. et cetera quedam que spiritaliter ad emundationem et remissionem instituta fuerunt. Secunda autem quasi ad exercitationem fuerunt proposita. ut in eis devotio fidelium exerceretur et meritum augeretur. quales scilicet fuerunt hostie pacificorum que offerebantur a fidelibus ob reconciliandam sibi gratiam divinam. Tertia instituta fuerunt quasi ad preparationem quandam. ut quasi instrumenta quedam essent ad cetera sacramenta tractanda et sanctificanda. quale fuit tabernaculum et altare et omnia utensilia que continebantur in eis. Nec non et sacra indumenta ministrorum et cetera omnia que ad exornandum cultum divinum fuerant instituta. Item sacramenta alia fuerunt que sanctificabantur ad emundationem. alia que tractabantur ad devotionem. tertia exercebantur ad venerationem. Prima necessitatis. secunda virtutis. tertia laudationis. Prima suscipiebantur ad sanctificationem. Secunda tractabantur ad devotionem. Tertia exercebantur ad laudationem. Item alia sacramenta erant in rebus quibusdam sanctificatis. alia in sacrificiis et oblationibus. alia in ministeriis divinis. Sic res eadem multis modis ad evidentiam distingui potest. Sacrificium dicebatur quando de animalibus fiebat immolatio. oblatio autem aliarum quarumlibet rerum vocabatur. Sacrificiorum tria genera sunt. alia enim sunt holocausta. alia simplicia sacrificia. alia pacifica. Holocaustum vocabatur quod vel ex debito vel sponte oblatum totum incendebatur. Sacrificium vocabatur quod pro debito institutionis oblatum partim cremabatur. partim reservabatur. Pacifica dicebantur que sponte offerebantur sive pro gratiarum actione. sive pro precedentis voti adimpletione. sive pro voluntaria et spontanea devotione. Holocaustum aliquando fiebat de armentis. aliquando de pecoribus. aliquando de volatilibus. Oblatio aliquando de simila fiebat que dicebatur sacrificium crudum. aliquando de clibano. aliquando de sartagine. aliquando de craticula. quod sacrificium coctum vocabatur. Sacrificia alia pro peccato erant. alia pro delicto. Pro peccato quidem. ut peccatum expiaretur. pro delicto. ut expiaretur delictum. Peccatum est quando fit quod fieri non debet. Delictum est quando non fit quod fieri debet. Et in his quidem omnibus sacramentum constabat. Sciendum vero quod hec omnia non talia sacramenta intelligere debemus. qualia superius sacramenta que proprie sacramenta dicuntur esse debere diffinivimus. sed in his et huiuscemodi quedam ob hoc solummodo sacramenta vocata. quia sacrarum rerum signa fuerunt. Sic ergo aliud est sacramentum sanctificationem significans. et significatione sanctificans. aliud non sanctificans. sed significans tantum. Et de sacramentis quidem scripte legis hactenus dixisse sufficiat. De promissionibus vero quas in tertia parte distinctionis posuimus. tractare presentis propositi non fuit. Sunt igitur tria que lex scripta continebat.

PRECEPTA. Sacramenta. PROMISSA.